

DE AQUARUM DUCTIBUS VEL FONTIBUS
INSCRIPTIONES ITALICO SERMONE QUAE
EXTANT

Eas de quibus agitur inscriptiones nuper Adriano La Regina in Museo Rhenano¹⁾ recensuit, omittens tamen illam (V. 173), cuius interpretationem iam pridem a V. Pisani prolata²⁾ ipse auctor suis repertis ex Pietrabbondante confirmavit. In iis proferendis cum quadam ratione uti nos oporteat, aut Itolorum sermonis differentias aut quid quaeque significet inspicere nobis licet.

Harum inscriptionum (V. 234): BIA: OPSET/MARONE/T. FOLTONIO/SE. PTRNIO, ad Umbrorum sermonem haud dubie pertinentem vetustissimam esse puto, litterarum et verbi „opset“ formis fretus; quod autem ad propositum spectat, sine dubio (ut nuper vidit K. Olzscha, Glotta XLI, 1963, 113 seq.) nomen „bia“ vivam (aquam) significans inscriptionem ad fontem quandam pertinere nos docet.

Ad eundem sermonem spectat inscriptio (V. 233): CUBRAR. MATRER. BIO ESO/OSETO. CISTERNO. N. CLV/III/SU. MARONATO U. L. UARIE T.C. FULONIE., quam recentiore altera Vetter putans, ad aquae fontem atque ductum pertinere adfirmavit („Es bezeichnet die Zuleitung und Fassung einer Quelle“³⁾).

Ad Paelignorum sermonem pertinentem inscriptionem (V. 212): MEDIX ATICUS/BIAM. LOCATIN/P. SADRIES. T./U POPDIS. T ex iunctura verborum „biam et locatin (s)“ putavit Vetter hoc significare (scil. publicanis) a magistratibus aquam a fonte ducendam locatam esse.

Sequitur inscriptio: PA. PETRONI /POM. F. BEA/ECAN. FEC/MEDIX, quam De Simone⁴⁾ Paelignorum sermoni attri-

1) Rhein. Mus. 109, 1966 p. 266.

2) V. Pisani, Le lingue dell'Italia antica oltre il latino - Torino 1953, p. 101.

3) E. Vetter, Handbuch d. Ital. Dialekte p. 108; K. Olzscha, l.c.

4) De Simone C., Contributi peligni, ap. Annali Ist. Orient.

buit, cum La Regina ad Marrucinatorum potius sermonem pertinere putet; cuius sententiae propius accedo si nomen „bea“ cum „peai“ tabulae aeneae Marrucinae comparo.

In his omnibus, quas breviter recensuimus, inscriptionibus eam notam praecipuam esse videmus nomen *biam*, idest *vivam*, pro aqua fontana constanter adhiberi; si autem ad Oscas inscriptiones (quo nomine et Frentanorum (V. 173) et Samnitium sermonem significari volumus) spectas alias esse notas praecipuas apparet.

Nam nomen AAPAS, de quo olim ambigebatur, quodque nunc aquam significare manifestum est, in omnibus inscriptionibus cum appareat, tamen nullis aut incertis adiectivis coniungitur (Kaias, V. 173)⁵⁾, erasis litteris in labris ex Pietrabbondante); et licet Pisani coniectura de Kaias adiectivo, quod *fontanae* sonet, non incongrua esse videatur, iactura tamen ea est ut acerbe nos pigeat, quippe qui certe discernere utrum de fontibus an de pluvialibus cisternis agatur quodam modo prohibeamur.

Quod clarius appareat si, ommissa inscriptione (5 La Regina) quae tantum nomen mutilum AAPAS praebeat, ceteras (3, 4 La Regina) inspiciamus; quae ita similes inter se sunt ut ipse auctor coniuncte eas inlustraverit atque interpretatus sit⁶⁾: PACIUS STAIUS L. F. MEDDIX TUTICUS AQUAM HANC(?) CAELESTEM(?) COLLEGIT(?) ET (...) AS HAS LOCAVIT IDEM PROBAVIT. Quam interpretationem, ut mihi videtur, quasi de labris agatur pluviam aquam retinentibus, sibi auctor cum proposuisset, fortasse loci natura impulsus nunc arida atque fontibus orba, ex eo „caelestem“ atque „collegit“ conicere in animum induxit, atque inscriptionum naturam ita mutavit ut absurde sonent.

Nam quis meddix tuticus vel summus magistratus operam daret ut nomen suum modicis labris inscriberet pluviam tantum aquam retenturis atque clari profecto operis memoriam servaturis? Etsi alia argumenta deficerent, illud spectantes facere non possemus quin haec labra aquarum ductum vel aquas fontanas receptura fuisse cogitarem.

Si autem inscriptionis lineam primam⁷⁾ attentius respiciamus nominis ultimi reliquias aliquod lumen interpretationi afferre Napoli Sez. ling. IV, 1962, p. 64. La Regina, Sacracrix herentatia, Napoli 1966 p. 6.

5) Vereias Luvkanateis/aapas : kaias : palanud.

6) Pak(is) Staiis. l. m. t. aapam (ek) ak (4-5) m Kellaked. inim. kurass. ekask (a) manafed esidum; prufatted.

7) Rhein. Museum (1966), 109, Tav. VII

apparebit; nam eius littera prima *II* extat, alterius tantum umbra, ut ita dicam, litterae V vel E extat; inter ceteras erasas litteras M vel AK coniunctas non absurde apparere putes.

Quare, ratione spatiorum atque coniunctarum litterarum habita, litterarum, quae desiderantur *II* (VSTMA) M vel *II* (EPAKNI) M supplementum esse non alienum putes.

Quod autem, in linea altera, noster auctor verbum KEL-LAKED latine „collegit“ transtulit, nil mirum, si quae ante monuimus de caelesti aqua, consideres; sed si ad aquam fontanam, ut ad potiorem sententiam spectes, tum lectionem difficiliorem adhibere haud recuses.

Quod deinceps auctor praeteritum tempus KELLAKED putavit ex primitivo verbo KEL, adiuncta temporis eius nota praecipua – K –, nullo testimonio in Samnitium sermone comprobari potest, cum eiusdem temporis notas praecipuas –F–; –FF– vel –TT– esse inter omnes constet⁸⁾: quod autem ibidem adfirmat verba „collegit“ atque „kellaked“ idem sonare, auctor ea tantum quae omofonia dicitur confisus esse mihi videtur.

Si autem ad inscriptionis argumentum, idest ad aquae comparisonem quandam spectes, nulla coniectura potior mihi videatur quam quae e primitivo verbo LAC, praemissa demonstrativa particula KE – (vide, sis, in V. 2, cebnust), ortum esse KELLAKED demonstret. Quod ad verbum, praeteritum tempus, longa mensura A litterae distinctum, haud incongruum putaverim; quod autem rem spectat, testimoniorum copia apud latinis scriptores de aquae ductibus (vide, sis, aquilicium, aquilicem, inlices et fortasse collicias atque delicias⁹⁾) suppledit.

Quibus de causis inscriptionis (5 La Regina) haec potior interpretatio mihi videtur:

Pacius Staius L. f. Meddix Tuticua aquam hanc
postumam (vel perennem) elicuit et labra lapidea
haec commendavit
idem probavit.
Teate, in Universitate Studiorum

Alfredo Carpineto

8) V. Pisani. op. cit. p. 47 in Lucanorum sermone hanc notam detegere sibi visus est; haud ita Vetter, op. cit. p. 120 seg.

9) Ernout-Meillet, DELL, 1959, sub :aqua ;lax etc. pro colliquiis atque deliquiis collicias et delicias putavit Walde-Hofmann, Lat. etym. Wört.buch, ex populari sermone ortas esse.